

teneantur ad subsidium charitativum, sicut clerici beneficiati. Ratio est, quia capellæ monachorum seu regularium a lege diœcesana non sunt exemptæ, uti eorum monasteria, et ecclesiæ regulares per dicta n. 43.

29. *Ut rite exigatur, requiritur legitima causa.* — Quæritur II. An, et qualis requiratur, ac sufficiat causa ad exigendum subsidium charitativum? Resp. I. Ad hoc, ut episcopus, vel alius rite exigat subsidium charitativum, debet esse manifesta, et rationabilis causa necessitatis. Omnes, ob clara jura c. *Conquerente*. 16. de *Offic. jud. ord.* ibi: « Si manifesta, et rationabilis causa extiterit, » quod idem dicitur, c. *Cum Apostolus*. 6. § *Prohibemus*. h. t. ibi: « Sustinemus pro multis necessitatibus, quæ aliquoties superveniunt, ut si manifesta, et rationabilis causa extiterit. »

30. *Quenam talis censeatur?* — Resp. II. Quamvis universalis regula tradi non possit, quænam ad præsens sit, et dici queat rationabilis causa, cum in jure nihil certum definiatur, sunt tamen aliquæ causæ in specie, quæ communiter a doctoribus reputantur pro rationabilibus, et consequenter si manifestæ sunt, pro sufficientibus. Patet inductione. I. Enim rationabilis causa exigendi subsidium charitativum, censentur esse expensæ necessariæ in promotione episcopi pro ejusdem confirmatione, consecratione, et annatis in Curia Romana solvendis, si alias haberi non possint, nisi ecclesia novis debitis gravetur. Bellet. *Disquisit. cleric.* p. I. de *Clerico debitore*, § 42, n. 4; Bellenc. de *Charitativo subsidio*. q. 16; Cardinalis, in c. *Cum Apostolus*. h. t. q. 7; Engel, h. t. n. 9, ubi ait, id esse declaratum a sacra Congregatione; Azorius, p. II, lib. IX, cap. xiv, q. 7, § *Dubiæ quæstionis*, citans sanctum Antoninum, p. III, tit. XX, cap. II, § 40, arg. c. *Cupientes*. § *Ad hæc*. et § *Si vero, de Elect.* in 6. et ibi Glossa *ŷ. Aliunde*. Ratio est, quia agitur de necessitate boni communis, quæ utique causam rationabilem præstat.

II. Quando multa et magna adsunt debita, quæ episcopus, vel antecessores ejus pro bono communi, aut necessitate ecclesiæ contraxerunt; pro quorum solutione exigipotest subsidium charitativum. Bellenc. loc. cit.; Barbosa, de *Offic. et potest. episc.* allegat. 87, n. 29; Engel, loc. cit.; Butr. et Imola, in c. *Conquerent. de Offic. ordin.*

III. Si episcopus visitat limina Apostolorum, juxta obligationem, c. *Ego, de Jurejur.*

IV. Si facturus est iter ad concilium generale, vel ad Papam, imperatorem, vel regem ob diœcesis, aut totius Ecclesiæ generalis bonum commune. Doctores, n. 30 citati, atque Menochius, de *Arbitr. judic.* casu 178.

V. Si episcopus fecit, vel facere debet magnas expensas pro adventu imperatoris, regis, magni principis. Menochius, loc. cit. n. 44; Barbosa, loc. cit. n. 35; Azorius, loc. cit. q. 7; Bellenc. loc. cit. q. 22, præsertim, si ab eo regalia habet, vel alias bonum commune suadet, ut talis hospes bene habeatur.

VI. Universaliter quando episcopus fecit, vel facere debet magnas expensas pro bono communi diœcesis, vel totius Ecclesiæ generalis; ut si sumptuosas habet lites, vel emit rem magni momenti pro bono communi suæ ecclesiæ, etc.; Barbosa, loc. cit.; Azorius, loc. cit.; Bellet. loc. cit. et alii. Ratio universalis est, quia bonum commune semper censetur præbere rationabilem et sufficientem causam exigendi subsidium charitativum per jura n. 29 citata, præsertim, cum bono communi semper cedere debeat privatum, per vulgaria.

31. *Si episcopo redditus sufficiunt, non potest exigere subsidium charitativum.* — Notandum tamen cum Menochio, de *Arbitr. judic.* cas. 178, n. 43; Bellet. loc. cit. § 42, n. 6; Cardinal. in Clem. 1. q. 1. et novissime Jacobus Pignat. consult. 142, et communi aliorum, præfatas causas esse solummodo sufficientes in casu, quando episcopi redditus ad satisfaciendum eis non sufficiunt; si enim episcopi redditus in casibus privatis sufficiunt absque subsidio charitativo, illud exigere plane non potest, cum deficiat necessitatis ratio, utpote conditio necessario requisita, c. *Cum Apostolus*. 6, h. t. § *Prohibemus*. Nisi forsitan in uno, vel altero casu adesset consuetudo legitime præscripta, extantibus etiam sufficientibus redditibus, charitativum subsidium exigendi; qualis in quibusdam locis est, quod pro expensis electionis, confirmationis, consecrationis, annatarum, semel saltem exigatur subsidium charitativum, vulgo *die Inful-Steur*, quod etiam in concordatis Germaniæ reverendissimos ordinarios inter, et Gulielmum Bavarie ducem erectis approbatur, et universaliter conceditur, quod episcopi subsidia charitativa, et alia jura episcopalia, exigere libere valeant; dummodo non fiat in-

solita exactio, uti videre est art. 1. dictorum concordatorum.

32. *Quantitas subsidii determinatur arbitrio episcopi : debet esse moderata.* — Quæritur III. In qua quantitate? qualiter? et quoties exigere valeat subsidium charitativum? Resp. I. Quantitatem in jure non esse definitam, adeoque determinari posse et debere arbitrio episcopi juxta exigentiam circumstantiarum necessitatis expensarum, redditum, etc. Menochius, de *Arbitrar. judic.* casu 179, n. 4; Barbosa, de *Offic. et potest. episc.* allegat. 87, n. 37; Bellet. loc. cit. n. 14; Navarrus, consil. 5, h. t.; Jacob. Pignat. loc. cit. n. 42, cum communi, arg. 1. *In fundo*. 38. ff. de *Rei vendic.* Debet tamen episcopus semper observare universalem regulam, quod non nisi moderatum exigat subsidium, prout expresse insinuat, c. *Cum Apostolus*. § *Prohibemus*. ibi: « Cum charitate moderatum auxilium. » Ratio ibidem subjungitur illis verbis: « Cum enim dicat Apostolus: *Non debent filii thesaurizare parentibus, sed parentes filiis*: multum longe a paternitate videtur, si præpositi subditis suis graves existant, quos in cunctis necessitatibus pastoris debent more favere. »

33. *Potest exigi sæpius.* — Resp. II. Non tantum semel, sed etiam sæpius, et quidem quoties, quoties causa manifesta, et rationabilis, juxta prædicta existit, et redditus non sufficiunt, potest episcopus a clericis beneficiatis moderatum juxta qualitatem circumstantiarum exigere subsidium charitativum. Barbosa, loc. cit. n. 36; Bellet. loc. cit. n. 5; Abbas, in c. *Cum Apostolus*. h. t. n. 2; Azorius, loc. cit. q. 8; Bellenc. q. 23, cum communi. Textu claro cit. c. *Cum Apostolus*. h. t. ibi: « Pro necessitatibus, quæ aliquoties superveniunt. »

34. *Cum consensu tamen, et consilio capituli.* — Resp. III. Ad hoc, ut episcopus rite exigat subsidium charitativum, debet requirere consensum capituli, vel saltem adhibere consilium exposita illi causa petendi. Bellet. loc. cit. n. 8; Joan. Andreas, in c. *Cum Apostolus*. h. t. n. 7, et ibi Butr. Innocentius, et Hostiensis, Jacob. Pignat. loc. cit. n. 6 et 8; Barbosa, de *Offic. et potest. episc.* allegat. 87, n. 26, et alii, c. *Novit*. 4. et c. *Quanto*. 5. de *His, quæ fiunt a prelat.*

35. *Modus exigendi subsidium charitativum.* — Resp. IV. Circa modum illud communiter tradunt doctores, quod episcopus clero, a quo subsidium exigit, debeat pro-

ponere causam petendi, eaque exposita primitus cum charitate et humanitate moderatum respectu necessitatis auxilium postulare, allegando et hortando, quod, cum cui libet proximo in necessitate sit subveniendum, multo magis ei, utpote capiti eorum, etc. subvenire debeant. Vide Bell. loc. cit. Barbosam, loc. cit. et Hostiensem, in c. *Cum Apostolus*. 6, h. t. n. 20, ubi dat formam petendi subsidium charitativum. Quod si charitativa petitione nihil efficit, potest, causa rationabili necessitatis manifesta existente, clerum etiam censuris, aut aliis mediis spiritualibus compellere per dicta n. 21.

36. *Existente dubio, et controversia inter episcopum et clerum circa subsidium, quid juris?* — Quæritur IV. Quid juris? si dubium et controversia est, an causa adsit sufficiens, vel quantitas petita sit nimia ac excessiva? Resp. in hoc casu recurrendum esse ad superiorem, vel consensu partium eligendos arbitros. Azorius, loc. cit. q. 4, § *In dubium vocatur*; Bellenc. loc. cit. q. 17; Pirhing, h. t. n. 55; Layman, loc. cit. n. 9; Barbosa, loc. cit. n. 28, cum Glossa, in c. *Cum Apostolus*. 6, h. t. *ŷ. Rationabilis*. arg. can. *Si clericus*, 46, cau. 11, q. 1. Ratio est, quia tunc solum episcopus ipse compellere potest renitentes dare subsidium, quando causa manifesta est, arg. c. *Conquerente. de Offic. ordin.* et c. *Cum Apostolus*. h. t. non item si dubia vel controversia, Barbosa, loc. cit. et doctores citati. (ADNOTATIO XXV.)

37. *Quid juris de subsidio ad seminarium? Est partim census, partim exactio.* — Quæritur V. Quid juris de subsidio ad seminarium contribuendo? Et an census, vel exactio dici debeat? Resp. I. Sess. 23. de *Reform.* cap. XVIII, concilium Tridentinum præcipit, ut in quavis diœcesi unum saltem, vel plura erigantur seminaria, in quibus juvenes ad statum clericalem aspirantes, in moribus, litteris, ac disciplina ecclesiastica, cura, et administratione sacramentorum, atque omni eo, quod animarum pastorem, bonumque sacerdotem decet, et ornat, perfecte instruantur, et a teneris annis imbuantur: ut sic diœcesis semper idoneos et optatos habeat, quos cum animarum lucro, consolatione, ac ædificatione diœcesanorum assumere possit, et collocare in vinea Domini. Quoniam vero hujusmodi seminarium non modicas requirit expensas, ulterius ordinat,

ac præcipit concilium, ut ad has concurrant, et contribuant omnia, et singula beneficia totius diœcesis, qualiacumque illa sint: item omnia ac singula non mendicantium monasteria, et pia loca quantumvis alias exempta (solis exceptis iis, in quibus seminarium discentium, et docentium ad communæ Ecclesiæ bonum actu habetur; hæc enim non nisi de redditibus ipsorum seminariorum superfluis contribuere tenentur) quorum singula non tantum semel, sed singulis annis tantum portionem dare tenentur, quantam episcopus cum consilio duorum de capitulo determinaverit; et quidem tandiu, donec seminarium sufficienter sit fundatum, ac provisum; tunc enim vel ex parte, vel ex toto cessare debent portiones prius dari solitæ. Videatur cit. c. 18, sess. 23. de Re-form. quod sane dignum lectu est. Scribit super hoc bene Jacob. Pignatell. tom. I, consult. 223; Zerola, §. Seminarium. et Barbosa, in concilium Tridentinum, loc. cit.

Resp. II. Præfatum subsidium seu portiones ad seminarium faciendæ, partim census partim exactiones dici possunt: census quidem quatenus ordinariæ sunt, annisque singulis in certa quantitate dari debent: exactiones vero, quia non continuo, sed tandiu tantum, donec seminarium aliunde habeat, unde sustentetur, durant: atque hoc desumitur ex natura utriusque tam census nempe quam exactionis, de quibus vide n. 2, 3 et 18.

§ III

DE EXACTIONIBUS, TRIBUTIS, GABELLIS, VECTIGALIBUS, PEDAGIIS, QUIDAGIIS, TALLIIS, ETC. LAICALIBUS.

Quamvis præsens titulus principaliter tantum agat de Exactionibus, et aliis oneribus ecclesiasticis, quibus gravari possunt clerici, nihilominus, quia ibidem incidentaliter saltem tanguntur exactiones, quæ imponuntur laicis, uti patet ex c. Innovamus, 10. h. t., de iis quoque breviter saltem hic merito agitur, præsertim cum sit materia in praxi frequenter occurrens. Pro meliori autem hujus materiæ intelligentia placuit præmittere explicationem terminorum. Hinc

38. *Tributum quid? et quotuplex. Exactio, tallia, quid?* — Notandum I. Nomine *Tributi*, si omnino late sumitur, venire omne illud, quod quacunque ratione principi, vel

reipublicæ ad onera communia sustinenda penditur, ac solvitur, quo sensu etiam tributa sunt vectigalia, pedagia, quidagia, etc. At vero tributum stricte sumptum est pensio, quæ subditis imponitur principi solvenda ad hoc, ut statum suum tueri, et communibus utilitatibus ac necessitatibus congrue prospicere possit, germanice *Steuer*. Dividitur in ordinarium, et extraordinarium. Ordinarium *ordinary Steuer*, est, quod singulis annis ad dictum finem ex lege nova, vel antiqua in certa quantitate solvitur. Extraordinarium *extraordinary Steuer, oder Anlag*, est, quod non singulis annis, nec aliis certis ac determinatis temporibus, sed ingruentibus extraordinariis necessitatibus ex mandato principis juxta determinationem ejusdem a subditis solvi debet; prout plerumque fit tempore belli. Hujusmodi extraordinaria tributa alias etiam vocantur, exactiones, tallia, seu taleæ, ita ut horum omnium nomine aliud non significetur, quam extraordinaria pensio seu tributum *ein Extra-Steuer, oder Anlag*, quod rursus subdividitur in duo membra, unum est, quod singulis personis, seu capitibus nulla habita ratione facultatum imponitur, et capitatio vocari solet *ein Kopf Steuer*, cujus impositio sane modica debet esse, cum a singulis etiam minimæ fortunæ, famulis et famulabus præstatur. Alterum vero, quod secundum æstimationem honorum, quæ quis possidet, taxatur et imponitur arg. L. arg. ff. de Censibus. vide Lexicon Calvinii §. *Tributum. §. Tallia. §. Exactio.* item Layman, lib. III, tract. III, p. 1. cap. III, n. 1.

39. *Vectigal, pedagium, quidagium, gabelle, quid?* — Notandum II vectigalia, pedagia, quidagia (quæ hodie promiscue sumuntur) materna lingua *Maut und Zoll*, esse illud, quod transeuntes quivis in certis locis a principe deputatis dare debent pro rebus, quæ vehuntur, vel portantur; vel etiam pro ipsis personis, quæ transeunt. Similia pedagia, et vectigalia plerumque exiguntur et dantur pro confectione ac conservatione pontium et viarum: quamvis etiam hac causa cessante exigantur pro interesse principis onera publica portantis: uti videmus hodie, quod etiam, in navi per aquam vehentes, uti nihil destruitur, vel reparatur, pedagia et vectigalia dari debeant. Porro, quamvis, ut dictum, vectigalia, pedagia, quidagia hodie pro eodem, ac promiscue sumantur; nihilominus proprie loquendo,

quidagium est illud, quod transeuntes dant pro salariandis illis hominibus, qui secure deducunt per loca, vel alias loci securitatem præstant. Glossa, in c. *Quantum*, in princip. h. t. in 6. quod idem, stricte loquendo significat *Pedagium*, prout vult Schardius §. *Pedagium*. addens ex Baldo, dominum terræ pedagia vel quidagia accipientem teneri ad resarciendum damnum, si transeuntes a raptoribus, vel aliis vias infestantibus, damnum patiantur. Gabella secundum plures idem est ac vectigal ac pedagium: Layman, loc. cit. et Summistæ communiter: alii vero dicunt gabellam esse illud tributum genus, quod datur principi ob venditas res sive mobiles, sive immobiles, germanice *Aufschlag Accis*. Præmissa terminorum explicatione.

40. *Præfata imponere possunt soli principes.*

— Quæritur I. Quis possit imponere, et exigere tributa, exactiones, vectigalia, etc. Resp. Soli imperatores, reges, et alii principes in temporalibus superiorem non agnoscentes, exigere et imponere possunt tributa, exactiones, et vectigalia; ut proin alii inferiores prædictis, hanc potestatem non habeant, nisi eisdem vel ex speciali concessione, vel privilegio principis, vel ex antiqua consuetudine jam præscripta competat. Ita communis ac certa tam theologorum, quam canonistarum, arg. c. *Innovamus*, 10, h. t. ubi universaliter omnibus sub pœna excommunicationis strictissime prohibetur, ne nova pedagia, vel exactiones, sine auctoritate et consensu principum et regum statuere aliquo modo præsumant. Eadem pœna statuitur transgressoribus in *Bulla Cœnæ*.

41. *Sed non nisi ex justa causa. Et quæ ista?* — Quæritur II. An semper, et pro libitu supremi principes imponere possint nova tributa, exactiones, vectigalia? Resp. Eos non semper, ac pro libitu, sed tunc solum posse, quando adest justa causa, servando etiam debitum modum. Rursus communis apud Layman, lib. III, tract. III, p. 1, c. 3, n. 2 et 3; Sporer, tract. V. in 7 et 10 *Præcept. Decalogi* c. 5, sect. 6, n. 145; Lessius, lib. II, cap. xxxiii, dub. 1; Molina, disp. 666, qui cum aliis doctoribus bene notant, quod tributum, vel exactio nova, vel vectigal etiam ex justa causa impositum, diutius continuare princeps non possit, ac quandiu illa justa causa durat; qua cessante tributum cessare debet; nisi forsitan alia consimilis causa loco prioris subintraret. Responsionem

confirmat etiam *Bulla Cœnæ*, § 5. sic sonans: « Item excommunicamus, et anathematizamus omnes, qui in terris suis nova pedagia, seu gabellas, præterquam in casibus sibi a jure, seu speciali Sedis apostolicæ licentia permissis imponunt, vel augent. » Causæ autem justæ tributa, et nova vectigalia imponendi vel augendi inter alias sunt sequentes: I. Principis decens sustentatio considerato ejusdem statu, dignitate, et meritis in reipublicam; II. magna utilitas reipublicæ; III. necessitas communis reipublicæ; quia contingit tempore belli; IV. expunctio debitorum pro communi utilitate seu necessitate reipublicæ contractorum, etc. Layman, loc. cit. n. 2 et alii doctores, num. præced. citati, qui plures alias allegant, simulque communiter docent, quod si necessitas, vel causa similis sit perpetua, perpetuum quoque moderatum tributum, vel vectigal imponi queat. Porro causa debet vere subsistere, et non ficta esse; quando enim principes ob nimium luxum, pompam excessivam, ædificia superflua, immoderatas donationes, etc. defectum ærarii patiuntur, et propterea ad tributa, vectigaliave ac similes alias exactiones deveniunt, etsi necessitas publica pro forma assumatur, re ipsa tamen similis exactio fraus est, et rapina, pauperumque oppressio, prout zelose scribit Navarrus, lib. III, c. 1, n. 255. Dixi in responsione, « servando modum debitum; » videlicet, ne plus exigatur, quam causa publica exigit: item ne ad alium finem, quam causæ publicæ usum applicetur. Ex quo cum communi ac certa doctorum.

42. *Peccata principum circa hæc.* — Colli-ges principes non tantum gravissime peccare, sed etiam ipso facto excommunicationi subjacere, ac insuper ad restitutionem teneri: I. Quoties sine justa causa publica nova tributa, vectigalia, gabellas, vel alias exactiones, qualitercumque eas baptizent, imponunt subditis; II. si plus exigunt, quam causa ipsa requirit; III. si causa justa cessante continuant, nisi nova emergat; IV. si antiqua tributa, aut vectigalia augment absque justa causa; V. si antiqua, et extraordinaria tributa, aut vectigalia per se jam essent sufficientia ad causam, vel necessitatem præsentem tollendam. Peccant etiam VI. si nimis, et excessivis luxu, pompa, lusu, conviviis, donationibus, recreationibus, ædificiis, etc. omnino exhauriant æraria, vel etiam debitis cameram gravent, ut nova tri-